

1257. Richardus rex Anglie rex Romanorum creatur. Otackarus rex Bohemie Bavariam hostiliter ingreditur et sine victoria in terram suam revertitur.

1259. Fames validissima est facta et morticinum grande nimis, et innumerabilis multitudo hominum in Ungariam est profecta.

1267. Filius Conradi regis, Conradinus, ad partes Italie processit.

1268. Rex Conradinus occiditur.

1273. Rudolfus comes de Habichsparg in regem Romanorum creatur et Aquisgrani statim intronizatur.

1276. Rudolfus rex Austriam potenter est ingressus et optinuit Carniolam, Stiriam, Carinthiam et ipsam Austriam infra duos menses. Mures omnimodis destruxerunt terram Bavarie. Rex Hispanie duabus vicibus vicit regem Francie in conflictu. Filius regis Romanorum contrahere promisit cum filia regis Bohemie et e converso filius Bohemi cum filia regis Romanorum.

1277. Contractus matrimoniales inter prescriptos reges dissoluti sunt et guerra gravis fuit inter eos.

1278. Rudolfus Romanorum rex devicit regem Bohemie et occidit eum — sed per suos traditus fuit — et obtinuit Moraviam et cum voluisset occupasse Bohemiam, prohibitus fuit per marchionem Brandenburgensem. Qui sunt concordati, ut infra invenitur.

1279. Puer Polanus, filius ducis Ludwici, promisit ducere filiam regis Romanorum in uxorem, quod papa impediens revocavit. Rudolfus rex fuit in discordia cum duce Heinrico Bavarie, sed sunt concordati restitutis ipsi regi Lintza¹, Welsa, Styra et aliis castris et filio suo duci Ottoni assignatis castro Nuwenberg et Frienstat et Riedmarche. Ante festum Iohannis baptiste Monacensis modius siliginis vendebatur pro quatuor solidis d., qui ducebatur a Suevia pulcherrimus.

1280². Dux Ludwicus cum rege Romanorum per Austriam cum exercitu vadens contra Bohemiam adversus marchionem Brandenburgensem et tam ipse rex Romanorum quam etiam marchio et dux Ludwicus per matrimonia omnes sunt concordati.

1283. Dux Austrie Albertus a patre suo Rudolfo consentientibus electoribus regni in ducem creatur. Ludwicus dux Bavarie castrum in Swaben³ edificare incepit.

1) Linz, Wels, Steyr, Neuburg am Inn, Freistadt und die Hofmark Ried, sämmtlich in Oberösterreich. 2) 1281. 3) Schwaben, Bezirksamt Ebersberg.